



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XVI. Idem a Episcopo Paduano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPUT XVI.

Idem ^a *Episcopo Paduano.*

Significasti nobis per litteras tuas, quod cum F. clericus cum Archipresbyt. Sancti Fiduncij equitaret, equus, cui infidebat, tam se, quam ipsum projecit in aquam. Inde clericus ipsum graviter calcariis stimulat: equus vero, ut litterarum tuarum tenor innovat, cum existeret bucca durus, præter voluntatem fessoris raptus in cursum, & malè parens habens, quandam mulierem, quam obviam habuit, ex improviso pedibus interfecit. Cumque nos ab eodem clerico fecissemus inquiri, utrum equi vitium prius scivisset, illud se asseruit ignorasse. Ideoque f. r. per A. f. m. quat. inquiras super his diligentius veritatem; & si rem inveneris taliter processisse, ad majorem cautelam injungas eidem clerico ^b penitentiam competentem, quæ peracta, nequaquam impedias, quominus in susceptis ministris ordinibus, & ad majores valeat promoveri.

NOTÆ.

^a *Paduano.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titulo cap. 4. De Paduana Metropoli *egi in cap. 7. de iudiciis.*

^b *Penitentiam.*) Quæ pro homicidio casuali, & omnino involuntario imponi solet, juxta tradita supra in cap. de cætero.

Textum hunc exposui supra in cap. dilectus, & commentarium ejus dedi supra in cap. de cætero.

CAPUT XVII.

Innoc. III. ^a *Oscen. & N. Tirassonen. Episcopis.*

Petrus Diaconus, & monachus sancti Joannis ^b de Pinna, suam nobis insinuatione monstravit, quod cum ipsum in seculari adhuc habitu constitutum, in Ecclesia de Rigulo quoddam beneficium obtinentem N. Abbas ipse Ecclesiam illum eodem beneficio spoliasset, cognati, & amici ejus Abbati sapius supplicarunt, ut beneficium sibi restitueret memoratum: quo nolente ipsorum precibus acquiescere, irati plurimum, & commoti, nocte quadam in domo Diaconi convenere: & cœnâ factâ dixerunt, quod vindictam volebant sumere de Abbate. Inhibiti autem expressè ab eodem Diacono, ne Abbatem occiderent, vel aliquid ei facerent, unde ordinis sui discrimen incurreret, & anima detrimentum, in eum nihilominus irruerunt, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto, unde post dies ^c aliquot spiritum exhalavit. Ab illo autem tempore usque hodie prædictus Diaconus de eo, quod contigerat, tristis effectus, ab administratione cessavit: & nondum expleto biennio, habitum induit monachalem. Unde à nobis suppliciter petiit edoceri, utrum posset in officio diaconi ministrare; & si hoc ei liceret, an posset ad majorem ordinem promoveri. Licet autem (si præmissis veritas suffragatur) præfatus diaconus super Abbatis interitu non videatur fuisse culpabilis, quia tamen bonarum mentium est ibi culpam agnoscerè, ubi culpa non est, quod ab administratione officij se propria voluntate suspendit, vel habitum induit regularem, sibi non ad peccatum adscribimus, sed ad meritum reputamus. Quocirca fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus si præmissa noveritis veritate subnixâ, sæpèdictum Diaconum non solum in diaconatus officio ministrare, sed etiam ad ordinem presbyteratus ascendere, si aliud canonicum non obstiterit, liberam concedatis auctoritate Apostolica facultatem: præsertim si super hoc non fuerit rescriptus infamia, cum ei non debeat imputari, quod contra prohibitionem ejus expressam, eo causam, vel occasionem non dante, ausu sacrilego proponitur à consanguineis attentatum, divinam Scripturam testante, quod anima quæ peccaverit, ipsa morietur: & filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filij; quamvis hoc ipsum verius ad æternam, quam ad temporalem referatur vindictam. Datum Reat. 2. nonas Augusti, Pont. nostri anno 1.

NOTÆ